Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

hec enim et habemus. Scientes enim dicimur eo quod habemus singulas scientias. Quare hec erunt et qualitates que singulariter sunt, secundum quas et quales dicimur. Hec autem non erunt eorum que sunt ad aliquid. Amplius si contingat hoc ipsum quale et relativum esse, nichil est inconveniens in utrisque hoc generibus adnumerare.

Recipit autem facere et pati contrarietatem et magis et minus. Calefacere enim ad frigidum facere contrarium est, et calefieri ad frigidum fieri, et delectari ad contristari. Quare recipit contrarietatem. Sed et magis et minus. Calefacere enim magis et minus est, et calefieri magis et minus, et contristari magis et minus. Recipit ergo magis et minus facere et pati. De his itaque tanta dicantur. Dictum est autem et de situ esse in his que ad aliquid sunt, quoniam denominative a positione dicitur. De reliquis autem, id est quando et ubi et habere, eo quod manifesta sunt nichil de eis aliud dicitur quam que in principio dicta sunt, quia habere quidem significat calciatum esse, armatum esse; ubi autem in loco esse, et alia que de eis dicta sunt. De propositis itaque generibus que dicta sunt sufficiant. Quotiens autem solet opponi dicendum est.

Dicitur autem opponi alterum alteri quadrupliciter: aut ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut habitus et privatio, aut ut affirmatio et negatio. Opponitur autem unumquodque istorum ut sit figuratim dicere, ut relativa ut duplum dimidio, ut contraria ut malum bono, ut secundum privationem et habitum ut cecitas visui, ut affirmatio et negatio ut sedet, non sedet.

Quecumque ergo ut relativa opponuntur, ea ipsa que sunt oppositorum dicuntur aut quomodolibet aliter ad ea, ut duplum hoc ipsum quod est alterius dicitur; alicuius enim duplum dicitur. Sed et disciplina disciplinato tamquam relativa opposita est, et dicitur disciplina ipsum quod est disciplinati. Sed et disciplinatum ipsum quod est dicitur oppositum ad disciplinam; disciplinatum enim aliquem dicimus disciplina. Quecumque ergo opposita sunt tamquam ad aliquid ipsa quidem sunt aliorum dicuntur aut quomodocumque ad invicem. Illa vero que ut contraria ipsa quidem que sunt nullo modo ad se invicem dicuntur. Neque enim bonum mali dicitur bonum sed contrarium. Quare differunt he oppositiones ad se invicem. Quecumque vero contrariorum talia sunt ut in quibus nata sunt fieri vel de quibus predicantur necessarium sit alterum eorum inesse, nichil horum medium est. Quorum vero non est necessarium alterum inesse, horum omnino est aliquid medium. Ut languor et sanitas in corpore animalis nata sunt fieri, necessarium est alterum esse in animalis corpore, vel languorem vel sanitatem. Sed et par et impar de numero predicantur, et necessarium est alterum in numero esse. Aut habundante